

**Dissertatio inauguralis medica de exanthematum malignorum  
retrocessione ... / Publicae philiatrorum ventilationi submittit, Joh.  
Henricus Herlinus.**

**Contributors**

Herlin, Johann Friedrich, active 1713-1716.

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.

Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1713]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zjput2pn>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**EXANTHEMA-**  
**TUM MALIGNORUM**  
**RETROCESSIONE,**

*QVAM*

*SUB AUSPICIO DIVINO,*

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,**

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

**IN ACADEMIA FRIDERICIANA,**

*GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU*

*P R Ä S I D E*

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATU-  
RALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LON-  
GE DIGNISSIMO, DECANO h. c. SPECTATISSIMO,

**DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO**

*omni Observantie atque Honoris cultu et atem colendo,*

**PRO LICENTIA,**

Summos in Arte Medica Honores, & Privilegia legitimè obtinendi,

*Ad d. Mart. M DCC XIII, horis ante & pomeridianis*

**IN AUDITORIO MAJORI**

Publicæ Philiatrorum Ventilationi submittit,

**JOH. HENRICUS HERLINUS, Prussus,**

*PRACT. DÖBELENSIS.*

---

**HALÆ MAGDEBURGICÆ,**

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

# ДЕСЯТЬ ДЕСЯТЫХ МИЛЛЕЙ ДВАДЦАТЬ ДВАДЦАТЫХ МИЛЛЕЙ АМЕНТИАХ МИНОВАМЕГИОН БАРОССИОНЕ

DU. HERIDEBRICO. VNIHBRIMO.  
PRINCIPIE BORGESI. SICCHIONE PRAE-

IN ACADEMIA FRIEDRIGIANA  
SOCIIS LIBERALIBUS MEDICIS CORTENS

# DR. GEORGIO ERINNICO TATHL. PARISIENSIS.

ROYAL PROFESSIONAL PRACTITIONERS COLLEGE OF NURSING

DOMANI PARLA' NO AL CACOLOGE 200

# АКРИЛОСЯП

**1301. LIBERUS MAB**

αιτημάτικον οὐδέποτε Βριτανού πατέρα τοιόντος

BEST DOG BREEDS

CHRISTIAN HENCKELI, Vcap Taboer.  
HILDE MAGDEBURGICÆ.



I. N. J!



## On solūm Quanritate

aut Qualitate, sed &, imò s̄epissimè Motu & Locō peccant Partes Corporis nostri fluidæ, sive Humores. Haud tamen nunc dicam de auēto illorum vel nimio Motu, neque de imminuto aut impedito;

verūm de erroneo, & inconstanti, quem præ aliis non rarò patefaciunt Exanthemata varii generis ad Cutem emissā. Sunt ea nihil aliud, quām laudabilia Naturæ Conamina, Materiæ morbificæ exterminationem in ægri salutem omni ope molientis, prout passim in Scriptis suis Exponentissimus Sydenham loquitur. Ast declinant s̄epè ab ordinariis his Motus legibus iidem Succi, in Statu p. n. Naturæ vel Infirmitate, vel Negligentiâ, vel eâ nimis concitatâ. Quamdiu enim se ista in peripheria Corporis ostendunt, Patiens satis benè se habet; simulac verò aut non magis prorumpunt, plura tameu occultari Signa loquuntur: aut, quæ adsuere, intrò revocantur, lugendam causari nituntur tragœdiam. Hâc occasione saltē maligna illa Exanthemata,

& quidem non tantum eorum Ortum; verum & p. n. atque morbosam Disparitionem, quam non absque gravi ægrotantis periculo moliuntur, dum versus interiora iterum remigrare, ac priorem Situm locumque deferrere sæpè solent, cum methodica Curatione, Divinâ adspirante Gratiâ, & quidem brevibus tantum, expōnere conabor.

## I.

**V**ocabulum ἔξανθημα Medicis denotat illud Excretionis morbosæ Genus, quod versus exteriora contingit atque more Florum efflorescit quasi & conspicuum sit in Cute, quo Natura Succos vitales ab omni labe & interitu, quantum possibile, tueatur. Sub hoc Titulo verò, ut genere, plures comprehenduntur Species. Imprim. notum est, quod Exanthemata distinguuntur in benigna & maligna. Sub malignorum Nominе intelligo Variolas, Morbillos, Purpuram atque Petechias. Non equidem diffiteor, plura huc pertinere, v. g. Bubones atque Carbunculos pestilentiales, Bubones venereos, Erysipelas, &c. quia tamen hæc peculiarem postulant Disquisitionem, ista duntaxat lustrare proposui. Interim & istæ species inter se distinguuntur, ut certò quidem respectu videantur esse uniusmodi, quatenus in radice & fundamento convenient, si tamen accuratiùs illas penitemus, certis quibusdam circumstantiis merentur discriminari, ita ut v. g. Variolæ à Morbillis, hi à Petechiis, & sic porrò differant. Ipsæ Petechiæ discernuntur partim Colore, partim superficie. Purpura variat notabiliter, dum alia est cum febre, alia citra hanc, alia scorbutica, puerarum, alba, rubra.

## II.

Quam vario sub Schemate Variolæ incedant, cernere licuit

licut in Epidemicis illis summè malignis, Anno 1704. à Men-  
se Septembri usque in Martium Aprilemque Anni sequen-  
tis in diversis Misniæ confinibus graffatis. Infestabant e-  
quidem maximè Pueros, Puellas atque infantes; verùm &  
nonnullos Adultos, ex lympha primò pellucida dehinc ad  
suppurationem tendente: partim acuminatæ, & vel suffi-  
cienti ac laudabili, vel paucò pure refertæ: partim longè  
latèque serpentes. Aliis contingebant statu quasi turgidæ,  
aliis duplicatæ, ubi cuticula secedebat. Pro ratione Sangu-  
inis & subjecti, hīc rubræ successivè candicantes; alibi li-  
vidæ, nigræ, tūm elevatæ, cūm depresso, foveam in medio  
habentes, die einen Bug haben, cernebantur. Extiterunt  
verò insuper Variołæ unà cum Petechiis diversis coloris,  
quale quid etiam in Ephemerid. G. A. 6. & 7. Obs. 53. annota-  
tur, nec minùs cum Purpura, cunctæ occupantes non tan-  
tum caput cum facie, reliquamque superficiem externam,  
verùm & lingua, fauces imò ipsa viscera interna copio-  
sissimè, ac magnæ in nonnullis molis. Ut de Morbillis ta-  
ceam, circa quos pariter unum vel alterum occurtere so-  
let, saltem id notare convenit, horum & petechiarum for-  
male consistere in Materia plus minus volatili, minusque  
rosiva & sine pure dissipabili; è contrario variolarum, quin  
& certò respectu, Purpuræ, in fixiore, viscidiore & rosiva.

## III.

Antequam verò de Retrocessione horum Exanthema-  
tum hīc quicquam proferam, meritò salutare Expulsionis  
atque Eruptionis opus priùs examinare fas erit. Scilicet  
hoc agit Natura, Mater illa prudentissima, tanquam genui-  
num illud Principium movens & vitale, sentiens & vege-  
tans, hoc est, Spiritus vitalis; mitto enim alias Acceptio-  
nes Vocabuli Naturæ & Opiniones varias, quibus utuntur  
v. g. Stoici, Empedocles, & ex Recentioribus, Boylius, Bon-  
tekoe, Muys, aliique, ut nimirum, medicamentis cumpri-  
mis adjuta, sibi hostile atque malignum à Centro ad Circum-

ferentiam, sive Habitum & ambitum deponat atque ejiciat, sine dubio per suos motus, quos certos & constanti ordine definitos edit, dicente Frambesario, Schol. Med. P. I. p. 123, si scilicet sufficiens, non verò manca aut debilis fuerit. Contingit hīc probabiliter interiorum Corporis Partium Compreſſio, & conſequenter Humorum ad exteriora Expressio, hydraulicā quādam neceſſitate. Et licet multa ejusmodi Conamina mediantibus Motibus ſpasmodicis imò convulſi- vis instituantur; attamen, ſicut intentio iſthæc Naturæ non fruſtranea aut nociva, ſed potius ſalutaris exiſtit, non ſe- cūs, ac in febribus aut per febres accidit: ita illorum bene- ficio multa pathemata ad ſalutem potius, quām interitum inclinare ſolent, ceu quoque ex Dentitione infantum cla- rum fit. Per Centrum autem indigitatum non præciſè in- telligitur Cor, prout vulgaris fert Opinio, unde & Traditio nata, die Flecken, Mafern, Pocken liegen ihm auf dem Her- ſen; cùm nulla Neceſſitas urgeat, ad hoc vel illud tantum- modò Vifcus abire materiam vitiosam. Sic enim præter Au- torum Testimonia, omnes loquuntur Circumſtantiae, Vi- ſcera in genere interna non exempta eſſe ab Exanthematum invaſione, atque ſic pariter cum ſuperficie Corporis Morbi ſubjectum Inhaſionis evadere, v. Fernel. L. 2. c. 12. Ker- kring, Spicileg. anat. Obs. 62, conf. Bartholin C. 2. Epift. 85. qui Historiam habet de Gravida variolis infestata, ſi cœtum varioloſum edente: quanquam hoc concedendum eſt, quod æger moleſtiam majorem in hac, quām illa parte per- cipiat, atque Pulmonum Cellulæ ſatis aptæ exiſtant ad re- cipiendos ejusmodi humores.

## IV.

Nec Viæ ſunt obſcuræ, per quas Expulſionem molitur, vafa nempe advehentia atque Partium pori, utpote aptiſſimi pro transiſtu humoribus concedendo, cunctis fere Partibus in hunc finem confeſſi, quorum tamen evidentem præ aliis ſtructuram præbet Habitus corporis externus, nempe Cu-

Cutis, quam anatomicè & accuratè satis ope microscopii descriptam exhibuerunt Malpighius, Horn atque Willisius. Nullum tamen fundamentum habet Assertio quorundam, quod materia febrium exanthematicarum ex corporali & mechanica sua necessitate specialissimè Cuti impingatur, quia figuram talem habeant ejus particulæ, quæ in folius Cutis poros recte & eximie quadret: cum funesta testetur Experientia, quod levissimis saltem Occasionibus occurrentibus longè promptius circa interiora maneat, aut paucis sæpè momentis ad interiora recurrat hæc Materia, quæ satis laboriosè & tardè nonnunquam ad Cutim admota fuerat, prout recte notavit Excell. D.D. Præfes Disl. de Febr. rationali Rat. p. 38. Pro varia igitur feri, & mass. sanguineæ, Constitutione, varia, in Habitu Corporis, potissimum tamen Pectore, Dorso, Collo, facie & femoribus erumperे solent stigmata nunc coloris rosei, nunc saturatè purpurei, lutei, viridis, cœrulei, violacei, nigri, omnium idèo pessima, quoniam Sanguinem jam ad necrosin tendentem ominantur.

## V.

Malignitatis vero Ratio in hoc consistit, ut, sicut præsupponere decet, in febribus malignis, cum & sine exanthematibus, Humores nostros, Serum imprimis, corporisculis atqne miasmatibus peregrinis & hostilibus, sive materia sit animata, sive non animata, sive acris, sive planè corrosiva evadens, (qualem in suprà indigitatis Variolis adfuisse, exitus loquebatur, dum nonnullorum Subjectorum Os & facies, miserè excoriata fuere, nec non Oculi perierunt, ut Parentes exoptarent mortem, conf. Pechlin. L. 2. Obs. 15. qui Uvulae non solum exulcerationem, sed etiam erosionem, post variolas annotavit) præcipuè vero valde tenui & subtili, inquinatos esse: ita spiritus Vitalis, ceu principium valde activum ac movens peculiarem inde alterationem, quam motor iste Sanguinis & turbator utplurimum

rimum contagiosus produxit, experiri, necessum sit, quatenus inde perturbatur, & si matura satis propulsio non bene succedit, exagitatur. Hinc ille tantum Morbus malignus audit, in quo citra Causam evidentem, & præter omnem spem graviora superveniunt Accidentia, quam postulare videatur Morbi Magnitudo, & Causæ ipsius vehementia, ubi v. g. licet Calor sit mitis, illicò concidunt Vires, principes Functiones perturbantur, & humores inquinantur. Judicatur itaque Malignitas ab Effectibus & Consequentibus, ex Symptomatum videlicet vires nimium atterente efficaciâ, omnimoda harum prostratione & Lassitudine, cum Calore p. n., sœpè satis miti, & talibus gravibus effectibus in se minus proportionato, Capitis Dolore, Appetitus Dejectione, Inquietudine & Jectigatione, Vomitibus, Nausea, Anxietaie Præcordiorum, Spinæ, Dorisque Dolore, Siti immoderata, agrypnia, Deliriis, Convulsionibus, Pulsu frequenti ac celeri, præter evidentem proportionem materialium crassiorum læsionum: quæ cuncta magis intenduntur atque exacerbantur oborto nostrō Symptome.

## VI.

Fuit hoc negotium Expulsionis. Nunc, quomodo Retrocessio fieri potest, disquirendum. Primò notandum est, hanc Symptomaticè fieri, & merum Symptoma, non Morbum ipsum existere, quatenus post morbum supervenit. Vocavit hanc actionem Antiquitas Palindromen Humorum; dum hi ad suum recurrent fontem, aut etiam sicubi ad partem diversam se convertant; nonnunquam Recidivam denotat, Nostratibus, die Zurücktretung der Mäsern, Pocken, wenn diese oder der Friesel, Flecken u. c. wieder zurück, und hinnein schlagen, in Leib schlagen, vel ut Tradition vulgaris sonat, aufs Herz fallen. Numirum contingit hic maximè Motus Humorum, vel materiæ cujuscunque mobilis, diffabilis, intempestivus atque minus ordinatus,

nem-

nempe retrogradus, probabiliter æque mediante spasmus dicâ quâdam fibrarum Constrictione, cum pororum interiacentium compressione, utpote quam vigore legis hydraulice Motus Sanguinis à Circumferentia ad Centrum iterum subsequi solet, atque sic reprimitur massa Sanguinis, & cum eâ, ceu receptrice ac hospitatrice cunctorum succorum, materia peccans, denuò ad interiora, v. g. Vasa majora, Pulmones, Diaphragma, Cor, &c. Aggreduntur nimirum modo Caput, modo Pectus, modo Viscera Abdominis, modo Artus reliquos, adeoque vel loca vicina vel remotiora. Quemadmodum enim Pori & Vasa ad Humorum Expulsionem satis apta sunt; ita etiam ad reversionem, Venæ nempe revehentes, Vasa lymphatica, fibræ atque singuli Pori.

## VII.

Pro Partium verò diversarum ratione, varia exinde redundant incommoda, & Viscera nobilia præque aliis sensata, præ aliis quoque percipiunt molestiam, verbô: ubi plures nervorum plexus, ibi necessariò certior, ut non æquè crassius, sensus: Scilicet Symptomata ulteriora, ex hoc prægresso Symptomate oriunda, (quæ Distinctio in Pathologia locum habet,) partim cum Symptomatibus suprà recensitis ipsius morbi coincidunt, in majori tamen gradu; partim ab illorum facie longè recedunt. Subsistens humor circa Pulmones, diaphragma, Cor, anxietatem circa præcordia, Systolem Cordis vehementiorem, & inæqualem, & huic proportionatam respirationem, & pulsum, causatur. Correpti enim spiritus non possunt non in motus inordinatos adigi, moventur rapidè & confusè, quam Concussionem, Motus convulsivi, imò Epilepsia, atque spasticae Contracturæ partium, insequi solent. Faucibus, Collo, cœterisque respirationis Organis suffocatio, auribus surditas, Oculis vitium aliquod, imò plenaria Cœcitas, inducuntur nonnunquam. Æstus, Situs, Jectigatio,

Singultus, Vomitus, Diarrhoea, atque Deliria partim generantur, partim exacerbantur, quale vehementissimum Delirium in Puella 6. annorum, à petechiis intrò revocatis vidi. Epilepsia in supra enarratis Variolis, tam post recursum, quam ubi minus ritè prodierant, satis vehementer exercuit ergastula, in qua potissimum conspicua erant, varia Membrorum Corporis Vibratio & Agitatio, Sie schlügen und arbeiteten mit den Armen, Händen und Füssen, hujus vel illius Partis frequens vellicatio, Pupillæ, nec non Linguæ in gyrum versio; quidam rigidò aspectu instar stiptis jacebant, sahen stier mit den Augen, Oculis & Ore vel apertis vel semiclausis. Puer 6. annorum, cuius Variolæ foveam mox à Suppuratione exhibebant cum ambitu non laudando, quæquè temporius, sive nimis citò evanuerant, tenacis admodum Pituitæ per Os ejectione, effluxuque tentabatur, ejusque tām copiosæ, ut linteamina plura vix sufficerent ad demendam istam; factum tamen hinc, ut eliminatâ per hanc viam materiâ morbosâ, benè haberet, atque pristinæ valetudini restitueretur, quod ad rariora pertinet, v. infr. Thes. 13. circa finem. Puerulo 2. annorum, ex retrocessione Morbillorum, obtigit horror ingens febrilis, quem æstus & sudores eximii, ac ferè colliquativi cum maxima virium debilitate, imò lipothymia sequebantur, restitutus tamen à me per D. G. fuit, quamvis novam morbillorum expulsionem adipisci, impossibile esset.

## VIII.

Post Morbillorum, qui Ao. 1708. hyemem istam mittem, & insolito calidam secuti sunt, Discessum, (utpote qui discensus frequentissimus in hisce erat, ita ut ex Centum, morbillis affectis, vix decem eorundem recursum non experirentur in pluribus haud sine fontico eventu; erant sanè, in quibus ad horas saltem paucas internè conspiciebantur, quamvis antea numerosissimi,) observavi in tenerioribus æquè atque majorennibus tussim ferinam cum Vomi-

mitibus & squalore totum obruente pectus & præcordia, spasmosque variarum Partium; nonnullis propter horrorem febrilem ac subsequentem calorem, obtigit coma somnolentum, aut ad minimu[m] Obfuscatio omn[is] um Sensuum, ut dormibundi jacerent. Mutabantur quoque isti in diversis subjectis, ut hinc in petechias, purpuram, aliasque Excretiones desinerent. Epilepsia atque Convulsiones, plures quoque adeò infestarunt, ut præsentissima haud sufficerent remedia. Idem Discensus frequens erat circa morbillos, h[oc] annō mens. præcedent. Januar. atque Februari. s[unt] videntes, qui comites habebant febres pertinaces, tusses, atque diarrhoeam multis exitiosam, quibusdam innocuam. Purpuræ Retrocessio, in Matrona nobilissima, causabatur mictum frequentem, ardorem urentem internum, sitim intolerabilem, Cardialgiam, vomendi conatus, atque assiduum per alvum ejiciendi cupiditatem.

## IX.

Considerationem præ aliis meretur Anxietas Præcordiorum, Febrium malignarum, atque omnis ferè Retrocessionis frequentissimum & quasi proprium Symptoma, v. Primeros. de Febb. L. 3. c. 23. grosse Herzensbangigkeit, Herz-  
ens-Angst, quam plerumque Iectigatio consequitur, daß sie sich im Bett herumwerßen, wissen nicht, wo sie sich vor Angst und Bangigkeit lassen sollen, non, quod orificio Ventriculi singulariter infesta sit materia maligna, prout putat Diemberbrock Tr. de Peste, c. 14. sed potius, ceu ex antedictis patet, quod generi nervoso spasmatica quædam Contractio respirationem impediens, imò vasis sanguiferis sanguinis stagnatio inducta sit; cui suppetias fert Diaphragma, ratione partis suæ tendineæ affectum. Quando vero per metastasim ad certam aliquam Partem, annotante Bursero, & confirmante ipsa Experienciam, propellitur, & quasi persistit materia morbifica, ita ut ex hospite fiat incola, quod nostrates ita exprimere solent: Sie lassen gern ein Ständchen hinter sich,

imò sèpè einen grossen Stanck, sie lassen gern was zurück; tunc vel particulare damnum inde evenit, Cephalalgia, Cœctas, aut aliud Oculorum vitium, v. g. Unguis, vel Colluvies catarrhosa, ut indesinenter copiosum atque acre plorant serum, Paralysis linguae, aut alias Partis, Palpitatio, Cordis, Tussis, Hæmoptysis; vel universale, Febris quædam veldenuo violentior, vel lentior, sed hecticæ propior: Lipothymia, Epilepsia, Apoplexia, Tabes, & Phthisis, qualem annotavit Dolæus in Encyclop. p. 785. Nec reticenda sunt alia fortè Ulcera subsequentia, atque Tumores varii imò Artuum Contracturæ ipsæ, ortum inde trahentes.

## X.

Et sic devenimus ad Causas hujus Mali, quæ varia esse queunt. Proxima procul dubio est Naturæ Debilitas sive Infirmitas, aut etiam Negligentia; si à Morbi Vehementia superetur, non sufficiens ad expellendum, neque debitè resistens contra violentiam externam. Propinquior, est Materia ad motum retrogradum habilis, tam variis qualitatibus, quam motu p. n. peccans. Remotiores sunt vel internæ vel externæ, v.g. frigus actuale exteris irruens, hujusque incauta admissio, Corporisquè Denudatio, & notatu dignum est, levisimum etiam refrigerium, mutationem induſii ac linteaminum, tantum saepe inferre periculum, quod v. g. in Purpura, totò die accidere solet. Exempla de ægris, Variolis laborantibus, qui se aeri frigido exposuerunt, atque inde subitò extinti sunt, refert Forestus L. 6. Obs. 46. Sed neque peripheria nimis calidior suadenda, cum sub hac exanthemata admodùm inconstantia esse soleant & cane atque angue pejus fugiendum sit regimen nimis calidum quðvis variolarum tempore, prout nervosè monuit Excell. D. D. Hoffmann. Patron. atque Promotor. honoratiss. in Disp. de prudenti medicam applicat. in Tempore, p. 13. Exitiosa quoq; sunt Potus nimis frigidus, atque medicamenta fortiter refrigerantia, utpote pari ratione motum Naturæ turbantia,

Pari-

Pariter suspectus atque periculosus est Uſus Remediorum Repellentium & Discutientium, quatenus materiam peccantem non eliminari, ſed potius regurgitare faciunt ad interiora, denegatō per poros Cutis, aut loca cœtera exitu, cujus generis ſunt v. g. Epithemata vulgaria, aetū & humida & frigida, inconsultè applicata, v. Borell. C. I. Obs. 64. Nimis Dulcia, Sacharata & Acida, fermentationem humorum augent, atque Diarrhoeæ h̄ic nocivæ anſam præbent. Nec minùs nocent, Diuretica largius exhibita; apud Riverium enim in Observat. Puella variolis laborans ex uſu Aquæ Petroſelini Dysuriam lethalem experta fuit, quod allegat laudatus D. D. Praeſes in Diff. nov. Pathol. Calc. p. 18. ubi propriaſ ſubnedit observationem ſequentem, quod nimirum puellus Illuſtris, nondum quinquenis, morbillos excludere incipiens, ab Aqua fragorum, vanâ opinione refrigerandi, paulò largius exhibita poſt duas circiter horas vehementiſſimum dolorem Lumborum, cum multiplici mictione morbillorum verò præcipiti & plenaria retroceſſione, & ſuccedente copioſo vomitu paſſus, vix gravissimum periculum evaferit.

## XI.

Aſt pefſima h̄oc locoſ ſunt Purgantia & Vomitoria fortiū ſoperantia, motum Naturæ & Expulfionem invertentia, atque diarrhoeam excitantia; evanescunt enim ab ejusmodi illico Exanthemata, auētā Cordis anxietate, ac proſtratione Virium: quod enim Natura provida per Poros ac ſuperficiem Cutis expellere geſtit, id nulla ratione, nullō modō per alia loca, imprimis alvum educere conuenit, & in febb. malignis, præſertim exanthematicis purgare, eſt necare, v. Frambesar. loc. all. P. II. p. 17. & Diemerbrock. L. de Var. & Morb. Hist. 4. p. 293. Contra quam regulam tamen totō die peccat Empiricorum & imprudentiorum Cohors, plures eheu! h̄oc modō interimens: quemadmodum & Virginem

novi, cui in febre petechiali à balneatore hypercatharsis excitata fuerat, ex qua petechiarum retrocessio, menfum fluxus, Delirium, Motus convulsivi, tinnitus Aurium molestissimus, nata fuerunt, vixque servari potuit. Unde nec Clysmata facile admittuntur, cùm in ætate minoribus suppositoria in Obstructione videlicet Alvi, sufficient, & tamen, præsertim in ipso eruptionis Motu, periculosa satis existant, conf. Sydenham de Variol. p.74. Hinc & ipsa Diarrhoea, aut per se morbi culpâ, aut esu, 'potuque incongruô, superveniens, similem ludit tragœdiam. Venæfectio quoque inconsideratè instituta, idem infert damnum, quatenus mediante hâc, & detracto sic virium robore, Excretio vel omnino impeditur, vel ea retardatur, aut humores revocantur, atque sic ægri ad orcum detruduntur. Sic Terror, uti sanis nocivus existit, refrigerium accelerans totius Corporis, aliaque symptomata; ita in nostro affectu, compresso quasi motu Sanguinis, Reversionem maximè causatur, ut de aliis Animi Affectibus taceam.

## XII.

Signa, quibus retrocessionem hanc augurari possumus, sunt vel antecedentia, vel consequentia. Ad illa pertinet Vomitus post Excretionem! recrudescent; item Diarrhoea, utpote quæ in augmento & statu, omnium Consensu sunt exitiosa. Natura in hoc passu irritos ejusmodi excernendi Conatus provocat; sed excusatur illa, quod agat quantum potest, & officio suo, quantum in ipsa est, fungatur, licet utilem eventum hâc minùs, aut raro, feliciter assequatur. Hæmorrhagiam quod attinet, quemadmodum hæc mox in principio horum Affectuum, imprimis parca, dubium eventum arguit: ita quæ sit maculis comparentibus, itidem metum ineutit, aut enim non talem Eruptionem, qualis fieri debet, aut factæ interiora versus iter designat. Suspicionem etiam infert hoc, quodsi parcè admodum exanthemata prorumpunt, ægerque in progressu, quoad Respiratio-  
nis

nis negotium nullum levamen percipit: Porrò, si Variolæ violaceò se ostendunt colore, in sui medio monstrantes fo- veam: si Error commissus sit ab ægro. Signa consequentia per te manifesta sunt, quatenus & Diseaseß Macularum in conspectum venit, & symptomatum enarratorum Cater-va rem prodit, e. g. si tussis post Eruptionem morbillorum deficiens, denuò redeat, cum anxietate circà Præcordia.

## XIII.

Prognosin quod concernit, ea in genere pro periculo-  
so agnoscit, Exanthemata, præsertim maligna, ab externis  
converti ad interna. Vix enim dici potest, quām ægrè Na-  
tura turbationem Actionum suarum ferat, ut per easdem  
vel universum Corpus, vel unam saltem atque alteram Par-  
tem, à materia, iam ante deleteria, aut talij futura, liberet.  
Quamvis enim ejusmodi molimina Naturæ subinde cum  
totius machinæ Commotione (conf. supr. Thes. 3.1) aut cer-  
tæ alicujus regionis evacuationem sustinentis læsione, insti-  
tuantur: haud tamen ipsa de via semel electa deflectit, nisi  
vel à nova emergente Causa morbifica, vel Affectibus ani-  
mi gravioribus, ab instituto suo retrahatur. Semper enim,  
manente eō, quod excretioni destinatum est, vel novos exi-  
tus, prioribus sæpenumerò pejores, quærit, & materiam  
peccantem ab externis & ignobilioribus ad internas nobi-  
lioresque trudit: vel quasi dementata, etiam bonos succos  
in excrementa convertit, ut Corpus modò lentâ tabe con-  
sumatur, modò mors ex tumultu & confusione humorum  
inemendabili, sequatur. Quæ omnia eò promptiùs contin-  
gunt, quòd magis mobiles sunt humores, & nervosarum Par-  
tium structura delicatior. Quosi igitur iterum mature ad  
exteriora revocantur, æger non habet, quod metuat; sin  
minùs, lerna, ut dictum, malorum, imò sæpissimè mors præ-  
foribus est, & Exempla rarissinia sunt, quòd Morbus aliquis  
retrogrediens, citra aliam eximiam molestiam, per Excretio-  
nes alias, v. g. hæmorrhagiam, alvi fluxum, sudorem &c. per-  
fectè auferatur.

## XIV.

Ut denique Curatio, ad quam properamus, ritè instituatur, hi bini procul dubio scopi ante omnia observandi veniunt; primò, ut nova Expulsio, si fieri potest, quanto cùs procuretur ac instituatur; secundò, quodsi nullā arte nova Expulsio obtineri poterit, ut Damno, à retrogressa materia jam facto, aut futuro, resistatur, & Corpus ab ulteriore noxa arceatur. Primo Scopo omnium Consensu, ex Fonte pharmaceutico satisfaciunt Expellentia alacrius operantia c. Bezoardicis & Alexipharmacis: in refracta tamen Dosi & cautè usurpanda. Quorsum pertinent Eſſent.æ & Tincturæ alexipharmacæ & bezoardicæ variis generis atque variæ modò genuinæ Compositionis, Myrrha-ta, ut Eff. myrrhæ, moderatè Caniphorata, Theriacalis, ſpirit. theriacal. imò Castorina &c. Pro Vehiculis præcedentium Remediorum facere posunt Aqu. Scorzoner. Sam-buc. Calendul. Cardbened. Galeg. Scabiol. Scordii: vel etiam Cerevifia, aut Juscolum; præfertim infantes vix aliud admittunt vehiculum, quā Cerevifiam, quā fallere eos oportet ob fastidium Medicamentorum. Monendum tamen iterum est, Calidiora iſthæc atque acriora circumſpectè porrigenda esse. Ubi enim æſtuatio & Anxietas major ſubeft, intendere hanc & exacerbare ſolent ea notabiliter, unde in minori Dosi, ſive parvis, repetitis tamen Dofibus offerri debent,

Succedunt his Temperatoria & fixa, v. g. Lap. Bez. or. C.C. Ebur uſtum, Ungula Alc., Margaritæ præp. antimon. diaphoret. Pulv, Bez. Senn, & Mich., Cinab. utraque, Fl. Sulphur., Terr. ſigil., lemin., præfertim, ſi hæmorrhagia aut Diarhœa, atque acrimonia humorum notabilis ſimul adfuerit, utpote quam iſthæc ratione particularum gelatinosarum, quibus abundant, feliciter absorbent ac tempe-rant.

rant. Emulsion. ex sem.. aquileg. napi, Card. Mariæ &c. Pulv. ex C. C. Cinab. atque myrrh. compositus, quem sa- pè bono cum successu exhibui. Potiunculis temperatis ad- duntur aliquot gutt. Tinct. bezoard. M. In nonnullis Di- spensatoriis extat Aqu. Expulsiva, quæ tūm ratione Ingre- dientium, cùm præparationis, satis temperata est, atque atque huic scopo respondere potest. Nec contemnen- dus est Pulvis Officinarum Mantuanus dictus, ob Ingre- dientia ut plurimum temperata, ex C. C. phil. præp. terr. sigill. Corall. r. ppt. rad. Scorzoner. Contrajerv. anthor. U. C. fossil. Cinab. nativ. margarit. ppt. lap. bez. or. Sa- charum, quod simul recipit, pro lubitu omitti potest. Ubi & in singulis quoque attendendum est, ne adeò rigorosè Su- dorem cogamus, aut in regimine ejus præcipites simus, cùm udor & mador sub quieto Decubitu per tempus paulò lon- gius continuatus, ordinariè majus afferat levamen. Refi- ciendus quoque est æger per Analeptica, ut sunt haustulus Vini, Aq. Namph. Cinam. cydoniat. borriginat. &c.

## XVI.

Ex Fonte Chirurgico in hoc passu laudem merentur Vesicatoria, de quorum Commodo in Petechiis testatur Horstius Decad. Epist. med. 10. Conf. Misc. Nat. Cur. Ann. 4. & 5. ubi Natura ipsa mediante Vesicâ in Corpore excita- tâ, post lymphæ acris effluxum à petechiis se liberavit. Ubi enim imminet Excretio cutanea maligna, nec tamen ritè vult procedere, aut si adfuerit, iterum evanescit: Diaphoretica vero & Expellentia suum Scopum impetrare nequeunt, tunc præsentius remedium in his revocandis arripi non po- test, quam ut Vesicæ excitentur; præterlapsis enim aliquot horis unâ cum vesicis lymphâ acri pellucidâque turgidis, e.g. redire solent denuò Variolæ, simulque salutis antea du- biæ spes iterum affulget. Notetur autem, post vesicas fa-

Etas, vulnuscula, si circumstantiae admittunt, esse per aliquot dies aperta servanda, quod fieri aptè potest, dum Empl. v. g. Diapalm. vel Cer. therebinth. tantum Empl. vesicator. admiscetur, quantum ad irritationem, non ad vesicationem sufficit. Applicantur autem aut Nuchæ, aut post aures, aut brachiis vel manibus. Notandum tamen est, multos eorum Usum reformidare atque respuere, imò infantes & ætatis tenerioris pueros, puellasque illa tolerare semper minimè posse, quatenus nonnunquam inflammatio levior licet, & Dolor ansam dedit Convulsionibus. Et in hanc rem omnino legi meretur Gerhard. Columba, de Febris pestilentibus, Cautionem doctè commendans.

## XVII.

Quia verò frustraneus sèpè esse solet omnis Labor, omnis Conatus in nova & priore Expulsione acquirenda, sive id à præterlapsa expellendi Occasione, sive à Natura admodùm onerata & succumbente, contingat: proinde secundus scopus, nisi mors hunc præveniat, talia postulat remedia, quæ illi malo, quod recursus Exanthematum malignorum intulit, aut adhuc inferre aptus est, opposita sunt, ita, ut tùm ad acutum cùm chronicum inde natum affectum Curam dirigere oporteat per pharmaca, fontanellas, setacea. Quamvis duo Exempla cognita mihi sunt, ubi irritus fuit omnis Conatus: Unum in Juvene Studioso 20. annorum, cui à variolis minùs rite egredientibus atque simul revocatis, vitium tale oculis obtigit, ut ii indesinenter acre & copiosum plorarent serum; cùm igitur per fonticulum, aliis enim remediis malum cedere noluit, serum hostile derivaretur, oculique naturalem splendorem jam nanciscerentur, præter omnium Cogitationem, Empyema Thoracis cum phthisi consummata atque morte Colophonem imposuit Affectui. Alterum in puel-

puella i2. annorum, cui à morbillis partim tardè erumpentibus, partim ab eorum recursu, idem Malum enatum fuit: applicatò itidem fonticulò, intra paucas menses Catarrhus quidem Oculos deseruit, ita ut hi ad pristinum redirent statum; ast occupabat dehinc partes interiores materia morbifica, (sine dubio tam in hoc, quam antedicto subjecto copiosior, quam quæ per fontanellam absensi potuerat,) cum Apostemate Hypochondrii sinistri interno, & pedissequa Hectica, quæ Mortem tandem causata fuit.

## XVIII.

Fons denique Diæteticus sive Res N. N. utut negliget; antea, haud tamen de novo negligendæ veniunt, quatenus elogiò Hippocr. S. I. aph. I. non modò Medicus facere debet, quod factò opus est, sed & æger, & qui præstò sunt, & quæ foris incidunt. Aureum hocce Monitum profectò, si alicubi certè in nostro Affectu maximè attendendum venit. Peccare autem æger potest ulterius in admissione aëris frigidi, qui tamen maximè temperatus, non æquè fervens esse debet. Sic Potus quidem admittitur, verùm non adeò largus, aut frigidus refrigeransque; vino modicè indulgendum, Cerevisia sit probè defecata. Cibus sit tenuis, & facilis digestionis; fugienda sunt fermentescibilia, nimis Dulcia, acida, lacticinia, ne Diarrhœam præsentem fortè augeant, aut novam provocent. Animi Pathemata vehementiora Cane & angue pejus evitentur, & quæ porrò Animadversionem mereri videntur. Ex quibus dictis patet, non mirum esse, multos, gravissimò hōc symptomate Decumbentes perire, quatenus minus tempestivè occurritur malo, aut non adæquata, verùm inepta Remedia in auxilium vocantur; alii aut delicatiores aut morosiores pharmaca potius respuunt.

Cir-

**Circa Res N. N.** pariter, præsertim peripheriam exten-  
nam & Assumpta, totô die committuntur Errores, ut ferè  
opus foret, Medicum ab initio ad finem assidere ægrotan-  
tibus, atque removere incongrua. Ut adeò totus Cura-  
tionis Cardo, sicut in cunctis, ita & hocce Casu, tam in  
Remediorum convenientium Applicatione; quam  
in Regiminis legitimi Administratione omni-  
nò versetur.

## S. D. G.



NOBILISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
PRÆSES  
S. P. D.



Otatū dignus est locus apud Senecam, ubi amico suo confitetur, quod, cum junioribus suis annis ad contemplationem solertiorem rerum humanarum, & undique devii & perversi cursus, animum intentius applicare cœpisset, præ fastidio pravitatis atque perditorum seculi morum, sa pius ipsum impetus ceperit abrumpendæ vitæ, & tanquam brevi via ex hoc labyrintho erumpendi: nisi Parentis imprimis amori hoc dedisset, ut patientius hæc fastidia atque odia preferendo, denique ad tolerantiam & tranquillitatem, animum, velut assuēscendo, perduxisset. Certè, quod hic adhuc juvenis, circà totius vitæ fastidia experitus est, illud augescente ætate circa unam humanæ vitæ necessitatem, ita animum meum sæpiùs tentavit & quassavit, ut dum artis medicæ fata atque perplexas turbas mente perpenderem, pugere subindè me ceperit, quod huic studio animum non solùm adjecisset, sed prorsus illi operam & industriam addixisset. Sic ut enim in antiquiore schola Medica, non poteram non ægrè ferre, repentinam illam, post Hippocratis & Galeni solertiam, desidiam, totius propemodùm posteritatis, in poliendis, excolendis, & ad plenum fructum maturandis, antecessorum horum observationibus & commemorationibus; Cujus necessarii partim, partim utilissimi, instituti loco, sufficere videbatur, in illis, quæ à dīctis istis artis conditoribus, semel prodita atque posita fuerant, ita acquiescere, ut non solùm unguem latum ab iis recedere, tanquam superstitione religioni duceretur, sed etiam supplere & adjudicere, quod passim fieri necesse esset, nemo satis auderet; ita recentioribus ævis, irrumpente Paracelso, & seditionem illam de nuò concitante Helmontio, salutarem, si rectè usurpata esset, libertatem, de plenitudine doctrinæ Medicæ, ab antiquitate ad nostra tempora devolutæ, disquirendi, in illas turbas & licentiam prolapsam esse, ut innumeris, non diversis solùm, sed passim con-

trariis, imò à se ipsis dissidentibus, opinionibus & commentis  
squalerent, non poterat non mentem, unius veritatis cupidam  
profundā ægritudine afficere. Quid enim notius est, & jam ne  
ipsi quidem vulgo hominum amplius occultandum, quam quod  
tam antiquæ veritates per imperitiam Clinicam in summam per-  
turbationem deductæ sint: Dum historia morborum, è mutilis  
atque turbidis observatiunculis hominum, vel paucâ atque rarâ  
praxi potitorum: vel inter numerosam praxin animum ad quidvis  
potius, quam ad solerter animadversionem veræ morborum con-  
stitutionis adjacentium, sed potius Empiriæ nudæ insistentium:  
in eum locum deducta sit, ut nihil jam propemodùm de antiqua  
atque solidâ morborum descriptione placeat aut probetur; sed  
vel omnia nova videantur, vel ea solum decerpantur, quæ phan-  
tasiis quibusdam ætiologicis quadrare videantur, suppressis inte-  
rim & silentio prætermisis, quæ cum his conciliari minimè vale-  
rent. Alterum est, post imperitiam, scandalum, inficitia, con-  
templationes & deductiones ætiologicas, secundùm simplicem  
verum ordinem causarum instruendi, & instituendi; Quod ita  
hodie insanabile deprehenditur, ut confusa illa, summa imis mi-  
scendi protervia, non possit usquam in viam & meliorem frugem  
reduci. Cui malo, cum accedat, utique novum, scribendi ca-  
coëthes; ut pauci propemodùm promptiores sint, certè vero nemo  
impudentior, ad res suas, imò ægræ mentis somnia, publicæ luci  
exponenda, quam qui modo dictis duobus fulcbris pa-  
lam nituntur; Imperitiâ, inquam, veræ indolis & historiæ mor-  
borum, & crassa inficitia, respectuum atque nexuum causalium.  
Fieri itaque aliter non poterat, nisi ut omnia, vel indies magis  
magisque turbarentur, vel semel arrepta perplexa sententia, mor-  
dicus retineretur, & semper eadem crambe recoqueretur. Ubi  
frustrà planè est, res illas, in meridianâ luce positas, turbidis talibus  
ingenii atque moribus, occinere aut ostendere; Infrequentiam  
morborum generalem; Frequentiam autem morborum specia-  
lem, secundùm temperamenta & ætates; Conspirationem sub  
eodem genere, morborum succendentium, cum prægressis: & va-  
riationem horum specialem, secundum loca tantum, non vero se-  
cundum totam materiam, aut subalternam formam: Efficaciam,  
genericè simpliciorem utut specificè πολύμωρον, constitutionis  
Plethoraicæ, (quam Veteres primo loco inter causas morborum

prudentissimē collocaverant, tales autem novatores, propemodūm aeterno si-  
lentio damnarunt, ) Cacochymiae verioris, minimē perplexum aut obscurum,  
ortum ab ipsā plenitudine; Larvas atque metaschematimos, simplicioribus  
morbis, per portentosas medicationes, parium opinionum fructum, demūm in-  
troducetas, adeoque Corruptos morbos; Ingentia illa, publicè obvia, certè totis  
millenariis numeranda, exempla, imò paradigmata & specimina, variæ specieæ  
morborum, sine externo artificio aut adminiculo, sponte Naturæ humanæ, in dies  
feliciter superatorum; Convenientiae successus, decurssus, exitus salutaris, mor-  
borum, etiam sub variis (modo non prorsus heteroclitis) artificiis, cum illis spon-  
taneæ sanationis methodis; aut contrà, ab incommodioribus artificiis, resultan-  
tes tales morborum immutationes, è sinceriore suo schemate, in alia, quales in pa-  
ri genere morborum, ubi similia articia, imò maleficiæ, non intercesserunt, mor-  
bis illis non solùm insolita, sed penitus incogniti sunt; Præsentissimam æque,  
atque potentissimam, & proinde utroque modo etiam frequentissimam, efficaci-  
am, Animi pathematum, (etiam à nuda falsa estimatione atque confusa ratioci-  
natione pendentium;) in corporis, etiam cæteroquin exquisitè sani, non solùm  
reliquos vitales motus, sed in ipsam usque formationem primigeniam humani  
corporis; Discretionem inter veras causas, & effectus seu producta, morborum;  
imprimis minus manifesta, præsertim ad ita crassum sensum, sese exerentium;  
Discretionem æquivocæ & incertæ, & contrà univocæ, certæ, constantis, eviden-  
tis, operationis atque efficaciæ remediorum, & illinc pendentium etiam æquivo-  
carum curationum: (dum unum idemque morbi genus, non solùm sine talibus,  
sed vel planè contrariis, modò nihil novæ turbæ objicientibus, artificiis, passim  
fanatur, imò nihilo incommodius aut deterius, numerosis exemplis, etiam sine  
omni externo artificio) Et plura, quæ tamen ad hæc fundamenta propriè colline-  
ant. Frustrè, inquam, sic hæc talibus præ monstrare, qui fundamentali illo, tan-  
topere ab Hippocrate in Medicinæ sectatore commendato atque præsupposito,  
fulcimento; τῆς Φύσεως, indolis ingeniosæ & sagacis, destituti, sub reliqua  
morum feritate, etiam humanæ rationis præsentiam, solâ corporis humani larvâ  
demonstrare possunt. Unde, postquam Motuum in vivo, quin ipso humano, cor-  
pore, uno, male intellesto & applicito, vocabulo, hinc indè obiter mentionem fa-  
ciunt, toto reliquo nugarum suarum contextu, nihil nisi tales, & tam fatuas, ma-  
terias decantant, ut cum ante diætis illis manifestis, morborum æque, ac totius  
sanitatis atque vitæ humanæ, conditionibus atque casibus, non plus, quam Car-  
dius cum circulo, quadrent. Faciunt certè, ut inde ab initio dixi, hæc talia ar-  
tis Medicæ fata atque scandalæ, ut cum aliis multis honestis & cordatis Viris, etiam  
me subinde artis ita prostitutæ, pœnitentiat, pigeat, imo pudeat, & sèpè cogitatio-  
animum subeat, anno honestius, certè tranquillus & commodius, rebus ita con-  
stitutis penitus obnunciare, & quamlibet potius aliam honestem vivendi ratio-  
nem inire, futurum esset. Sed cum ubilibet propemodūm multa zizania bonas  
fruges obsideat, & jam prudenter monente S. Apostolo, è mundo ipso emigran-  
dum foret, si passim præcellentibus abusibus atque pravitatibus elabi, obstinatum  
esset propositum; ferenda utique sunt, quæ mutari non possunt, & sapientissimæ  
voluntati atque ordinationi Divinæ commendandum, quando illa, vitia hæc,  
salubri sementi ab hoste interspersa, eradicare consultum duxerit. Levat inte-  
signe

rim tedium, & exile juhar melioris spei tanquam per nebulam ostendit, quod  
minime desint tales adhuc Viri, qui scientiae atque conscientiae compotes, uti la-  
bes has privatim affatim agnoscunt, iisque suo loco, in exoptatos usus proximi,  
consulere cordi habent, ita etiam magis magisque eo connisuri sint, ut publice  
quoque veritatis purae atque castae splendor enitescat, & spreta zizania, bonae fru-  
ges seges, ad lætiorem messem maturescat. Præbuisti mihi, N O B I L I S S I-  
MÆ C A N D I D A T E, occasionem, de his rebus differendi; siquidem, Tu,  
Tuique similes plures, dum bona indole, solerti ac sagaci ingenio, industria atque  
assiduitate indefessa, artis Medicæ sanæ atque luculentæ doctrinæ, ita incubuisti,  
ut planam veritatis semitam præ salebrosis & anfractuosis, deviis & præruptis,  
prudenter distinguere didiceritis, illam cordatè prosequi curæ cordique habetis.  
Nempè memores, hujus autorem Deum esse: Fontem luminis, quod rectâ impri-  
mis viâ fulgorem suum masculè diffundit; Hostem autem Patrem esse falsitatis,  
obliquitatis, tricarum & turbarum, in tenebras atque præcipitia ducentium;  
Memores, quod non de nugis, & verborum cavillis, sed de vita atque sanitate  
humana, sollicita debeat esse scientia Medica atque conscientia. Quæ proin-  
dè benedictionem Divinam, rectâ atque planâ via, sectari debeat; Dum hosti-  
libus fallaciis infeliciter confisi, nihil nisi confusionem, & animum graviter tor-  
quentem perversum moliminum suorum, successum & eventum reportant. In-  
sistite porrò, ut haec tenus laudabiliter fecisti, huic viæ, & præopta invidendos  
successus, quam sibi ipsi miseros invidiæ excessus; Fac diligenter opus fer pa-  
tienter onus. Transfer idem studium, quod doctrinæ Medicæ, bene firmæ &  
coagmentatæ, adhibuisti, ad usum ejus atque exercitium practicum. Ut er pru-  
dentia, circumspectione, cautione: observa, non limis & cœcutientibus, ne-  
dum torvis oculis, sed sincero & cordato conspectu, quid rerum geratur, sub  
turbidis illis opinionum, ut pelagi fluctus non tam cohærentium, quam se mutuò  
trudentium atque submergentium & omnia susque deque rapientium ac turban-  
tium, voraginibus; Inspice hæc, imò despice, è continenti, firme, sicco atque  
solido, littore; Miserere naufragorum, subveni consilio & auxilio; Prospice in-  
terim Tibi quoque, ne te furentes aquæ, insana sua ebullitione, limo atque spur-  
co sale aspergant; aut excute sanè sine indignatione, & ad placidam auram,  
atque solem, sub benigno cœlo, desicca. Benedic Altissimo, qui ubi firmiter  
consistere posit pes tuus, sapientia suâ atque veritate ostendit; Ita semper  
possidebis animam tuam in patientia, tranquillitate, & læta dūtagxeia: Ha-  
bebis, quod agas, & quod recte agas; inservies proximo, & eris commendatus  
amori ejus, & benignis votis; Erit Tibi ars Medicæ, & tu eris arti, decori;  
Procul luxu, procul segni otio, procul inani atque perditio negotio, benedi-  
cente, & perpetuo assistente, exoratâ, Divina gratia, quoad vivis gaudebis.

Certus & securus ominor & amica mente appræcor. Vale.

Dab. è Musæo 8. Martii,  
MDCCXIII.

